

ignosceret, ab eo absolutus, atque ad pedis osculum est admissus. Is cum intellexisset, Julium post hæc tacite curam adhibuisse ut se caperet, Fabritii Columnæ, qui in clade ad Ravennam se captivum ejus fecerat, cumque ipso Romam venerat, tum ope tum consilio aufugiens in ejus se fines contulit: deinde in Apuliam contendens, quod itinera terrestria intercludi sibi ab Julio facile posse sciebat, mare Adriaticum ad Illyricum trajecit, ut eo inde iterum trajecto, per Padi fluminis ostia domum reverteretur. In urbe autem Decemviri fœminam meretricem, quæ in Deos maledicta conjecerat, & se fuga subripuerat, exulem ea conditione fecerunt, ut si ullo in imperii loco caperetur, cervices ei abscinderentur, ipsa igni combureretur. Fossæque Clodiæ civis, qui tres suas filias virgines vitiaverat, a prætore concrematus dignam commissi pœnam persolvit. Julius Helvetios rebus bene gestis in Cardinalium collegio *Romanæ reipublicæ defensores* appellavit, atque uti eo nomine omnibus ab hominibus appellarentur, censuit.

Galli eo tempore Brixia emissi, equites quatercentum, milites mille, ut e vicinis oppido locis prædas abigerent, atque in oppidum importarent, cum agricolas plerosque una cum mulieribus atque infantibus interfecissent, tumultu hominum a tergo excitato, copiisque Venetis se in reditu opponentibus, capti & interfecti magna ex parte, ac præda quam fecerant amissa, reliqui se in oppidum fugientes vix ægreque intulerunt. Laurentio Cereetano, qui ad Patres se contulerat suarum rerum causa, auctus equitum & stipendiorum numerus. Auctus item Vitellio & ejus fratri: pensionesque annuæ Joanni Brandolino, & Marco Castellatio, & Saccardo Sonzinio, pro cujusque rebus bene gestis a Senatu traditæ. Lex est etiam perlata, ut ex Lepontiis milites bis mille celeriter conscriberentur, reliquisque adderentur, ut essent omnes numero ad decem millia: jusserant enim Patres ut reipublicæ legati ad Brixiam recuperandam accederent, certiores a nonnullis ejus urbis civibus facti, non posse se ulte-

Gallorum
turma a Venetis
cæsa.